

spiritus robustissimus & impudentissimus ausus fu-
erit.

§. XIX.

Ex his *tergeminis Seminis Mulieris officiis* innume-
rabilia & inæstimabilia promanarunt *beneficia*, cum-
primis, quia textus Mosaicus vereque divinus maxi-
mam beneficiorum *justitia, salutisq; messem* nobis ex-
hibet. Et vix ullum quoddam beneficium in tota
Scriptura tum Veteris, tum Novi Testamenti repe-
ritur, quod non in *Archivo Paradisiaco* divinitus sit
indicatum, allegatum & demonstratum. Sed hac
vice *manum de tabula*, & aliis temporibus, labori-
bus, & meditationibus hanc beneficiorum multitu-
dinem, magnitudinem, celsitudinem &c, relinqui-
mus,

§. XX.

Beneficia tandem Christologias Paradisiacæ juxta ver-
borum copiosissimum positum atque sensum *allegare*
non tantum, sed & *explicare* possumus, sed hoc angu-
stia pagellarum præscripta prohibet. *Terminus* autem
per divinam gratiam & sancti Spiritus *διδασκαλίαν &*
παιδαγωγίαν beneficia numero plurima, pondere gravissi-
ma, estimio summa vel maxima exhibet, *fide* potius di-
vina simpliciter *credenda*, quam humanis verbis *expo-*
nenda. Sicut etiam varias beneficiorum differentias
allegare, & juxta contextum multis explicare para-
tissimum foret, cum alia nobis offerantur juxta *re-*
gnum potentie, dum in Christo nobis non restituta tantum,
sed & *reconciliata sunt omnia, quæ sunt in cælis & in ter-*
ra, Collos. I. 19. varia juxta *regnum gratie*, cujus respe-
ctu tota nobis abyssus ex infinita gratiæ plenitudine
est